

Miscellen.

Versus tragicus graecus.

Hesychii glossa haec est: ἔσκληκότα· ἀντί τοῦ προσλιπαροῦντα· ἀπό τῶν προσζηραινομένων· οἱ δ' ἀφινῆσονται νέδαν ἔσκληκότα. ipsam glossam Photius aliique in lexica rettulere pleniorē, προσλιπαροῦντα quid valeret declarantes addito προσ-εσκληκότα aut προστετηκότα, unus Hesychius adiunxit ex quo glossa deducta est versiculum. eum iambicum esse trimetrum apparet, quod genus veteres tragicos non modo sic incidere solitos scimus οἶδ' ἀμφὶ νῆσον τὴν πελειοθρέμμουνα, sed incultus interdum ac durius ad hoc exemplum πεζῷ παραγγείλας ἄφαρ στρατεύματι. in isto versu olim IsVossius corrigi voluit οἱ δ' ἀμφὶ νῆσον Τενεδίαν, Herwerdenus nuper cum Hesychiana plurima percensendo alia acute temptaret alia feliciter emendaret (in actis acad. Batavorum 1895 p. 11) οἶδ' ἀμφὶ Νίσσον Αἰνέαν ἔσκληκότα, scio *Aeneam deperire Nisum*. mallet doctus amicus Callimachi potius quam Vergilii meminisset, certe eodē hymnum Iovis Callimacheum recordatus intellexi nihil in verbis illis oportere mutari nisi unum apicem οἱ δ' ἀμφινῆσονται Νέδαν ἔσκληκότα, *illi circumstipabunt sibi Nedam rigidis torridis*. nam de Neda montis Lycaei fonte quondam sanctissimo Arcadiaeque magno flumine, de cautibus circumiectis scaturienti obiectisque decurrenti, de specubus et subterraneis aquarum meatibus quae vel in itinerariis libris scripta legi vel audivi ex peregrinatis in Peloponneso, ea demum aperire mihi videntur qui factum sit et poeta ut ἔσκληκότα poneret et interpretes ut durantia supponeret pro duratis et arefactis. auctor verbi num etiam dira Iovis Lycaei sacra corporumque ossa respexerit nunc quidem latet. in exitu fabulae locum fuisse versui putes si contuleris ex Ione illos οἱ τῶνδε δ' αὖ — ἐποικήσουσι νησαίας πόλεις quique similem in tragoediis habent fatorum praedictionem. οἱ δέ gens Lycaonis, Arcades? Aeschyli Callisto mihi in mentem venit ex qua relictam habemus traditam ab Hesychio Lycaei memoriolam (Πανίας βήσσας), accedant Azanes Achaei cuius tamen non extat trimeter adaeque asper.